



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 23. Creatio Cardinalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV. nona ejusdem mensis efflavit animam.  
A. C. 1316. Tum Philippus ejus patruus est agnitus  
 Rex hoc nomine Quintus, cognomento  
 Longus ob proceritatem corporis.

## §. XXIII.

*Creatio Cardinalium.*

Papa delatus Avenionem octo Cardinales decrevit die Veneris decima septima Decembris, qua trimestris ecclesiastici jejunium servabatur. Primus erat Bernardus Castanetus patria Cesse-ronensis; quem ex Auditore palatii Innocentius V anno 1276 Episcopum Albigensem fecit. Anno 1308 ille transit ad sedem Aniciensem, cujus beneficii administrationem ei permisit Papa Joannes, cum eum diceret Cardinalem Episcopum Portuensem. Bernardus tunc numerabat annos episcopalis muneris quadraginta & unum, obiitque anno proximo 1317 die 14 Augusti octo duntaxat mensium Cardinalis.

Secundus fuit Jacobus de Vita Cadurci natus e sorore Papæ, tunc temporis electus Episcopus Avenionensis; qui manere jure fiduciario a Papa suo avunculo jussus est, cum fieret Cardinalis Presbyter de SS. Joanne ac Paulo. Tertius Gaucelinus sive Jossalmus Jannius pariter Cadurci e nobili ortus familia,  
 Eccle-

Ecclesiæ Romanæ Pro - Cancellarius, *Sæcul. XIV.*  
 Cardinalis Presbyter de SS. Marcellino *A. C. 1316.*  
 ac Petro. Quartus Bertrandus Pojetus *J. Vill. l. II.*  
 in dioecesi Cadurcina natus Papæ ne- *c. 6. 19.*  
 pos & tam similis, ut ejus filius esse pa-  
 lam diceretur a pluribus. Declaratus  
 est Cardinalis Presbyter de S. Marcel-  
 lo. Quintus Bertrandus Monfavesius,  
 Juris peritissimus, quod in Universitate  
 Cesseronensi docuerat. Editus in lucem  
 erat Castellum Novi Montraterii in diœ-  
 cesi Cadurcina, & designatus est Car-  
 dinalis Diaconus de S. Maria in Equiriis.  
 Sextus Petrus Arreblæus Prætoris Pe-  
 trocoricensis filius quondam, Canonicus  
 Quintinofanensis, & Borbonius Ecclesiæ  
 Augustodunensis Archidiaconus; ex  
 Galliæ Cancellario Cardinalis Presbyter  
 de S. Susanna. Septimus Gaillardus *Bal. p. 733.*  
 Motius Vasco, neptis Papæ Clementis V  
 filius, Cardinalis Diaconus de S. Lucia.  
 Octavus Joannes Cajetanus de Ursinis  
 Romanus, Cardinalis Diaconus de  
 S. Theodoro. Ecce Cardinales a Joan-  
 ne XXII primo creatos, Gallos præter ul-  
 timum omnes.

Duos eorum, nempe Jacobum de Vi- *Rayn. 1316.*  
 ta, & Petrum Arreblæum Papa sic e- *n. 19.*  
 vexerat rogatu Regis Philippi Longi, qui  
 eos magnopere ipsi commendaverat,  
 cum simul Lugduni essent. Igitur illo-  
 rum nominationem Papa Regi mox in-

Secul. XIV. A.C. 1316. dicavit, excusans, quod posteriori petasum non mitteret. Nam Cardinalibus, inquiebat, qui absentes sunt renunciati, non eum mittere solebant Antecessores nostri, nisi ex causis peculiaribus, quarum exempla sunt rara, nec imitanda facile.

## §. XXIV.

*Niphon pellitur : Glycys Patriarcha Constantinopolis.*

Anno 1315 Constantinopoli Niphon de sede sua detractus est ob avaritiam, per quam plura commiserat sacrilegia, & ad colligendas sibi divitias modos iniquos, ac dignitati suæ parum consentaneos adhibuerat. Itaque in monasterium Peribleptanum secessit. Anno proximo scilicet Anno 1316 in patriarchale solium elatus est Joannes Glycys tum Logotheta Dromi, seu fere idem ac publici cursus Inspector. Habebat uxorem ac liberos; sed erat ex doctissimis, & mirifice addictus nobili veterum Atheniensium stylo, quem sibi tanquam excellens exemplar proponebat. Nemo ad similitudinem ejus accedebat soliditate judicii, æqui rectique studio, & gravitate morum: quare is honor velut præmium præstanti viro congruere credebatur.

*Niceph.*  
*Greg. 1.7.*  
*c. 11.*  
*Sup. §. 3.*

*Cang. Gloss.*  
*Gr. p. 822.*